3096. II
El 213c
14
ST 1441
H 5.

Panegyricus

Augustissimo Regi & DOMINO,

DN. CAROLO

Svecorum, Gothorum Vandalorum Regi & Principi hereditario, Magno Principi Finlandiæ, Duci Scaniæ, Esthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ & Vandaliæ, Principi Rugiæ, Domino Ingriæ & Vismariæ,

Ut &

Comiti Palatino ad Rhenum, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Duci, &c. &c. &c.

Domino nostro Clementissimo,

Super recepto in Pomerania Homagio,

Coram Legatis Regiis & splendidissimo Auditorio

DICTUS

V. Kalend. Augusti ANNO CIↃ IↃC LXIII.

Nomine

ACADEMIÆ GRYPHISWALDENSIS

à

JOANNE POMERESCHIO,

J. U. D. & Professore Ordinario, Consist. Regii Adsessore.

GRYPHISWALDIÆ,
Typis MATTHÆI DOISCHERI, Universitatis Typographi.

1663
24

Offeriret auf dem Landtage zu Anclam den 29. Janua. ao 1664.

Celsissimo Heroi & Domino,

DN. CAROLO GUSTAVO WRANGEL,

Sacr. Reg. Maj. Regnorumq; Sveciæ Senatori & Archithalasso, Locum tenenti Regio apud Exercitus in Germania, Pomeraniæ Pro-Principi, Comiti in Salmis, Libero Baroni in Lindenberg & Ludenhoff, Dynastæ in Schogkloster, Bremer Verde, Spiker, Wrangelsburg, Ekebyhoff & Greifenstein,

ACADEMIÆ GRYPHISWALDENSIS CANCELLARIO EMINENTISSIMO;

Perillustri & Excellentissimo

DN. PAULO WIRTZ,

Pedestris militiæ Generali, Patriæ Vice-Gubernatori, Libero Baroni in Orneholm, &c.

Generoso & Magnificentissimo

DN. DAVIDI MEVIO,

In Supremo in Germaniâ Tribunali Vice-Præsidi, & Consiliario Secretiori Regio, in Zarrentin/ Bronchow & Baggendorff Hereditario;

Sacr. Reg. Majestatis Sveciæ

In suscepto solemni ritu in Ducatu Pomeraniæ

HOMAGIO,

LEGATIS SPLENDIDISSIMIS,

ut &

Summè Reverendis, Illustribus, Generosis, Magnificis, Nobilissimis, Amplissimisq;

DUCATUS POMERANIÆ

EX

PRÆLATORUM, EQUESTRI, CIVITATUMQ. ORDINE PROCERIBUS,

Dominis suis Clementi & benignissimis, Mœcenatibus Gratiosis, Magnis,

Humili Devotissimoq; cultu

Sacrat & inscribit

Joannes Pomereschius D.

Augustissimi Regis ac Domini,

DN. CAROLI,

Svecorum, Gothorum ac Vandalorum Regis & Principis hereditarii, Magni Principis Finlandiæ, Ducis Scaniæ, Esthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeranorum, Casubiæ, & Vandaliæ, Principis Rugiæ, Domini Ingriæ & Vismariæ,

Ut &

Comitis Palatini ad Rhenum, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Ducis, &c. &c. &c.

Domini nostri Clementissimi

LEGATI INCLYTI,

Celsissime & invicte Heros, Cancellarie Acad. hujus Illustrissime, Domine clemens & benignissime,

Per Illustris & Excellentissime Dn. Baro,

Generose Magnificentissimeq; Dn. Vice-Præses,

Domini Gratiosissimi.

Vosq;

Aulæ Provinciæq; Proceres eminentissimi, Vos Mavortia pectora, armorum gloriâ insignes animæ, Vos patriæ in publicis muneribus lumina, Flos Pomeranæ Nobilitatis, amplitudine meritorum, Ecclesiasticæq; dignitatis reverentiâ, & quibuscunq; honorum titulis Spectatissimi Hospites ac Auditores.

OBmutuit olim consummatissimorum sæculi sui Oratorũ vel ad privati quãdoque judicis vultum & cõspectos fasces eloqventia. Tacuerunt injecto veluti freno

A lingvæ

lingvæ, quarum cothurnata facundia dicendi meruerat faſtigiū. Immaturi inſtar embryonis, in ipſo ortu ſuo infeliciter exſtincti, trepidantis ſæpè initium ſermonis turpe ſilentium abrupit. Mei quoqve, etſi dicendi non penitus rudis, animum auguſtus ille Auditorii hujus ſplendor quo Romana roſtra vix conſpexere majorem, quiq; exercitam quoque debilitet peſſundetq; eloqventiam, obruit penitus & confundit. Scilicet dum per Pomeraniæ ſuæ tractus & urbes regię venerationis invehitur pompa, dum diu expanſos animorum ſinus læta & effuſa in devotionem patria Regiæ Majeſtati ſubſternit, in auguſtum hoc Muſarum domicilium omnis quoq; deſcendit Purpuræ Regiæ fulgor, primoq; ſtatim ingreſſu incomparabilis Serenitatis luce cuncta irradiat. Tuum enim illud jubar eſt, Rex Auguſtiſſime, CAROLE, cujus venerandi imaginem vultus non tam exi-

gua

gua illa tabula, pictoris opus, oculis omnium, quàm humillima veneratio pectoribus fidisſimorum ſubditorum offert, exhibetq; præſentem. Tuum, inquam, illud jubar eſt, quod his ſtudiorum umbris ſerenisſimam lucem affundit. Tuus ille eſt ſplendor, qui Incomparabilē hunc Heröem, tuum Regnorumq; tuorū Archithalaſſum, Pomeraniæ tuæ Pro-Principem illuſtrat, omnibusq; exhibet verendum. In hoc regiæ mentis tuæ celſisſimo interprete & Legato Te, Magne Rex, ut propitiū ac dulce ſydus poſt tot tempeſtates ſuperatas Pomeraniæ tuę ſpectādum præbes, & ex Septentrionis tui ſolio per tot maria ac terras regię clementiæ ſtricturas in ſubjectisſimam gentem effundis. Tuâ lucent luce, quos inclyto huic Atlanti in ſanctisſimo Pomeraniæ componendæ opere, ac regimine formando laborum conſiliorumq; voluiſti eſſe ſocios, dignos tanto Rege fortunæ principalis

Miniſtros, dignisſimos tanto Heroe in negotiis maximis adjutores, ſagi & togæ gloria & ingenii magnitudine ſupra ſæculi ſortem evectos. Cæterum ut coram Regiæ Majeſtatis ſolio loqventis animum ſecretus occupat horror, decurrentisq; liberius lingvæ temeritatem injectum â purpuræ radiis ſufflamen caſtigat: ſic adſpirantes & allabentes cæptis ex Serenisſimo illo & in Veris delicias flexo vultu blandiores Zephyri erigunt labentem animantq; verecundiam. Inter publica patriæ totius gaudia, quæ ſolennis ſanctisſimiq; ſacramenti religione Regi Principiq; ſuo clementisſimo æternæ fidei obſequiiq; conſtantiam ſtipulatur, inter Eqveſtris Ordinis exſultantes undiq; plauſus, inter præcipuarum urbium devota lætitiæ certamina & votivas acclamationes, inter Civitatis hujus nobis charisſimæ fida humillimaq; ſtudia, inter martiarum machinarum officio-

ſa

sa[fulmina & togatum tympanorum ac tubarum clasſicum, fas ſit & Muſas noſtras prodire in lætitiæ communioris theatrum, fas ſit non minus ſapientiæ ac literarum quàm ſanctitatis & obſequii, quod Regibus debetur, magiſtras, ſuam quoque profiteri pietatem, mantiſſam adjicere publico, ac momenta felicitatis & gaudii, brevi ſermone per tantæ, quam mecum ve-nerantur, ſuſpiciunt, colunt, præſentiæ clementiam, indulgentiam, favorem, explicare.

Fato & aliquo Numine, an fortuito quodam rerum humanarum ludibrio Reges populis dentur, cæcâ anceps[q]; dubitaverit gentilitas. Collegerit illa vel ex laſcivientis hinnitu equi, vel ex vulturum cadaveri inhiantium alis, vel ex Phœbi, cubilibus ſuis radiantem evolventis purpuram, ac ſplendidiore auro ortum ſuum deſignantis, primo adſpectu divinitus conſtituti Principis certa & veluti in-

dubitata præſagia. Inclito illo à tot ſæculis Gryphorum Ducum ſtemmate ex immutabili fatorum lege exſtincto, non niſi à præſenti manifeſtoq; Numine datum Pomeraniæ Principē tot arcanæ illius & inexplicabilis providentiæ indicia ac ſigna evincunt, ut nullibi majora auguſtioraq; confluxerint. Trecenti, & quot excedunt, anni ſunt, cum Ludovici Romani, Electoris Marchionisq; Brandenburgici Pomeranicæ ſucceſſioni, imo & dignitati imminentes auſus Barnimi tertii gentisq; noſtræ fortitudo ita repulit, ut aliquoties acie victis fugatisq; hoſtibus ſuum decus faſtigio principali libertatem patriæ clariſſimis victoriis adſeruerit. Nec minus qvum inauſpicatæ ſpei inſolentiam reſuſcitaſſent, initio quidem Fridericus III. ex Burgrabiorum Norenbergenſium gente ad electorale culmen evectus, hodierni florentisq; ſtēmatis author, & poſtea ejus filius Fridericus IV. pertractis

tractis in hostilis odii societatem unà cum Bohemiæ Rege cæterisq́; Electorib9 Principū XII. potentissimorū animis, adeoq́; universa ferè Germania, tandemq́; etiam hujus frater Albertus, quem Germanicum Achillem historici appellant.; cum Illo Otto III. & Casimirus VI. Isto Ericus II. & Wartislaus X. licet omni exterâ ope destituti tamen intrepidi, Hoc Bogislaus X. & M., Pomeraniæ Duces, patriæ Patres, Heroes inclyti, congressi, translatis plerumq́; in hosticum signis, quosvis insultus fortiter & cum clade hostium averterunt. Donec, quod armis non potuit, variantibus temporum vicibus, per pacta initæq́; leges conventionis & sub mutuæ in. Neomarchia successionis vinculo est obtentum. Sic dispensantibus cuncta fatis, ne in perniciem cruenta Vicinorum odia increscerent, & largiori cum humani sangvinis profluvio litis arbitrium ferro quærer etur, cu-

jus alium longè exitum, alium finem providentia destinaverat. Quo propior autem spei suæ & Pomeranicæ successioni nostro sæculo videbatur serenissima, Electoralisq; Domus Brandenburgica, per inauditam illam & fatalem X. Pomeraniæ Principum stragem, quos omnes vivos vegetosq; & florentes, mox exstinctos mortuosq; hoc sæculum adspexit, uno superstite Bogislao XIV. glor. memoriæ, eo celerioribus pasibus ad apicem decretorum suorum cœlestis festinavit providentia. Non testamenti tabulis, non privatæ Conventionis legibus, sed publico eoq; sanctissimo totius sacri Imperii Romani Senatusconsulto factum est, ut post abdicatam ab Electorali Brandenburgica Domo Pomeraniæ maxima sui parte, minori retentâ successionem, ex invicto illo Septentrionis solio Princeps patriæ huic nostræ daretur. Ita quod hactenus sub grandi illo divinæ

vinæ providentiæ ſipario latuerat occultum, in publicum protractum proſcænium ſtupendam ſupremi Numinis detegit ſapientiam. Hujus ut maximè proprium eſt, ſub abditiſſimis eventuum futurorum ſeminibus ea meditari, ad quæ mortalium conjecturæ collimare nunquam qviverint, ita conſilii ſui ſecretam magnitudinem in dato divinitus Principe Auguſtiſſimo Rege noſtro reverenter & cum devotiſſimo gaudio jubet venerari. Ut omni eloqventiâ ſuperius eſt tantæ argumentum lætitiæ, ſic nec minus publicorum vótorum includit ſecuritatem. Quantum enim eſt Ejus Regis Principisq; mitiſſimo imperio ſubjici, quem unius innocentia ſanctitasq; religionis ab hominum cõmentis purę ac liberę evehit & irradiat? Qui non minus tremendã æterni Numinis majeſtatem, qvàm bonitatis immenſæ vim verâ fide, cultu, ſenſu veneratur! Quantum eſt ſub

illo vivere imperio, ubi nullos conſcientia eqvuleos, nullam vim, minas, terrorem metuit? Ubi nec occultas, quibus non minori ſucceſſu tyranni graſſantur artes exhorreſcimus? Hoc eſt illud cœleſte divini verbi depoſitum, quod ſacrum & ab inquinamentis ſæculi intaminatum ad poſteros transmittere poſſe, humanæ felicitatis apex, votorum omnium eſt faſtigium. Gratulare tibi, Pomerania, ſacer nexus eſt, qui Regem Principemq; tuum DEO puriſſimæ veneration is ſenſu cultuq; jungit. Illi regno ſociaris, quod hoc ſæculo â tuis & totius Germaniæ cervicibus ſervitutem non corporum ſolùm, ſed, quæ fædiſſima eſt & longè deterrima, animarum depulit; Quod ut Religionis Auguſtæ Vindelicorum profeſſæ Vindicias incomparabili animo eventuq; ſuſcepit, ſic tueri non deſiſtet. In tuto ſunt, ô Pomerania, publica vota. Sub Auguſtiſſimo Regis tui ſolio ſacra pariter

riter & profana libertas ſecurè conquieſcunt. Immutato leviter ſæculorum atque corporum habitu ex defunctorum tuorum Principum non ſangvine, ſed arefactis cineribus cœleſtis indulgentiæ flamma novo miraculo Phœnicum inſtar eosdem patriæ Patres, eosdem Swantiboros, Bogiſlaos, Wartislaos, Caſimiros, Philippos, J. Fridericos, Erneſtos Ludovicos, Ottones ſuscitavit. Non deſierunt vivere Principes tui, Pomerania, quorum bonitas, amor, clementia & divinæ virtutes, in CHRISTINA, in CAROLO GUSTAVO, ſed ex regio throno ſplendidiores longè reluxerunt; in hoc Auguſtiſſimi Regis tui CAROLI animo cum annis incrementa ſument. Aſiaticorum tyrannorum iſta eſt barbaries, ut vi occupatas dominationes vi tueantur, & potentiæ ſuæ munimentum ſtatuant. vilitatem & deforme obſequium ſubjectorum. Ea Auguſtiſſimi noſtri Re-

gis est pietas, ut fortunæ Pomeranorum suorum, ut Prælatorum Eqvestrisq; Ordinis juribus, ut Civitatum privilegiis, Patriæ libertati, nihil cupiat detractum. Vidimus veneratiq; sumus Regio encausto subnotata Diplomata, & in istis membranis palladia veluti & Ancylia cœlo delapsa nostræ suspeximus securitatis. Miscentur principatus & libertas, res olim insociabiles creditæ. Conveniunt & in uno solio blandè morantur. Majestas & amor. Ea eligitur Imperii species, in qua æquo jura omnia administrentur, ubi sua Principi Majestas, subditis libertas constet. Ubi subjectorum amor certissimus est sponsor diuturnitatis. Ubi dum regiis cingimur præsidiis, corda omnia Regem cingunt, & ad solium pro Principe suo votis precibusq; excubias agunt. Æterna erit illa fidei obsequiiq; constantia. Neque enim devicti subjugatiq; in regiam ditionem venimus.

Infir-

Infirma est illa possessio, in quam non nisi gladio Reges Principesq; inducuntur. Quæ principio rerum gentiumq; diuturna reddidit imperia gratitudo subditorum, perennitatem nostræ quoque devotionis spondet. Erat tunc virtutis præmium Diadema, & ad tantæ fastigium Majestatis illustrissima quæque in genus humanum merita Imperantes evehebant. Tua quoque, Dive Gustave Magne, cœlo jam recepti beneficia Septentrionis tui solio Pomeraniam addixerunt. Cum pressa lugeret Religio, Germanica libertas conculcaretur, nomine Hospitum atque Amicorum in innocenti Pomerania sacra pariter & profana polluerentur, Divina indulgentia Te excitavit Liberatorem. Cum â proxima Stralesundo, tuis suppetiis servata jugum removeres, cum ex omni Pomerania ferro & armis iniquissimæ dominationis satellites ejiceres, cum in Lipsiensibus campis

pugnares, cum tota victoriis peragrata Germania, in Lützenſi prælio occumberes, & auguſtum illum ſpiritum, ut Imperatorem decebat, conferta in acie, ſtans & Victor, DEO redderes, circumdediſti Pomeraniæ ſecuritatem, ipſam immortalis veneracionis meritorumq; vinculo adſtrinxiſti. Nec minus tanti Regis unica proles, heres, paternorumq; amplificatrix beneficiorum, Auguſtiſſima Reginarum CHRISTINA devotionem amoremq; Pomeraniæ meruit. Hæc, cum inter tot aſpera & adverſa in Dömitzenſi, Kemnitzenſi, Witſtochienſi prælio, in Lipſienſibus iterum & Janckovienſibus Bohemiæ campis hoſtem profligaret, meditatas iteratò Germanicæ Pomeranicæq; ſervitutis compedes gloriosè confregit. Svecia non pectus tibi, ô Patria, ferro aperuit, vt amorem vi ac facto vulnere inſtillaret. Ipſa ſibi pectus aperiri paſſa eſt, ut tui amorem teſtaretur.

Hunc

Hunc Rex maximus ſangvine ſuo, tot præclaræ fortesq́; Svecorum animæ morte ſuâ obſignarunt, cum per triginta annorum atrocisſimum bellum totæ hoſtili cruore delibutæ tanquam victimæ Germanicæ Pomeranicæq́; ſaluti immolarentur. Cui Regno Libertatis tuæ vindicias debes, illi & non alii, non irruenti hoſti, qui ſuperbum illud, Væ Victis! increpat, Cœleſtis providentia, publica totius Romani Imperii lege, Te addixit. Non mutaſti fortunam tuam, ſed auxiſti. Non ab Imperio Romano es avulſa, ſed Regno juncta, quod terrâ mariq́; potentisſimum & invictum, famam nominisq́; terrorem ultra Europam in alium orbem transmiſit: cujus vires ac magnitudinem amici mirantur ac ſuspiciunt, hoſtes formidant. Commerciis tuis recluſa ſunt maria & Septentrionis portus, quos non ut peregrinos amplius, ſed domeſticos & tuos licet freqventare. Olim Go-

thi Vandaliq; majores noſtros in commilitii gloriam ſumſerunt, cum ultra Herculis columnas ac labores progreſſi ſubjugatis devictisq; omnibus de principe terrarum populo triumfarunt. Nunc ſub unius Regis patrisq; imperio fortisſimæ Svecorum genti ſanctiori nexu nos Pomerani adſtringemur. Unius ſolii reverentia fraterna neceſſitudine Svecos Pomeranosq; unit, populos jam pridem indole, fide, candore, quin ipſo vultu habituq; amicâ ſimilitudine conjunctos. Per tot momenta felicitatis, per tot concatenatos nexus cum Auguſtisſimo Regi noſtro devincti ſimus, quas grates cœleſti pariter & regiæ benignitati ſolvemus? Superas, Rex Auguſtisſime, exquiſitisſimam omnium gratitudinem, & quicquid rependi â mortalibus poteſt, intra meritorum tuorum gloriam ſe occulit. Venerentur bonitatem tuam ſplendidi Oratores, adorent clemen-

tiam

tiam laureatę lingvæ, ubi ad ſummum proceſſiſſe ſe arbitrabuntur, plura majoraq; ſupererunt, quæ dignis ſatis evehere encomiis confuſa deſperabit eloqventia. Accipe ergo votorum noſtrorum pietatem, acclamamus Tibi veteri ritu & omina felicisſimi capimus principatus. Fuerit Cyro glorioſum â Sole nominis ſui originem derivaſſe, Scipio â fulmine vocetur, Nervam Bonum, Trajanum optimum vocent annales. Alios immenſis devictarum gentium titulis oneret verius qvàm ornet antiquitas. Tu, Rex clementisſime, præter hereditaria in ſangvine Tuo Auguſtisſimi, Pii, Inclyti, Felicis, Glorioſi, Liberatoris Triumphatorisq; nomina, PACIFICUS vocabere. Ex primordiis Tuis ſperamus imperii Tui placidisſimã tranquillitatem. Natales Tuos circumſonuere Mavortia fulmina atque omnis tempeſtatis bellicæ fremitus. Vix nati cunis triumphalib9 adpen-

sæ sunt ex Sarmatiâ Borusiaq; recentes laurus. Atvero poſt parentales, quas defuncti Divi CAROLI GUSTAVI Progenitoris triumfatorisq; maximi, exſuviis pietas dependebat lachrymas, cum ſucceſsiſti in thronum Princeps cœlitus date, ceſſerunt tonitrua, deſævierunt procellæ, & parta cum tot potentisſimis hoſtibus, Cæſare, Polono, Dano, Belgis, Electore Brandenburgico, tandemq; Moſco, pace, Janoq; clauſo, ferales armorum qvievere tumultus. Quid precabimur ergo aliud, Rex Auguſtisſime, quàm ut DEUS Te Regno ac Pomeraniæ ſervet. Iſta ætas Tua ultra glorioſisſimi Senum Guſtavi I. Abavi Auguſtisſimi canitiem vireſcat, Caroli IX. proavi pietatem transcendat, Divi Guſtavi M. & II. Liberatoris, Avunculi Tui magni, Divi Caroli Guſtavi, Bellatoris, Patris ingentis, triumphos Oleaginis coronis ſuperet. Tu juſtitiâ & æquitate ſuſpiranti Pomeraniæ

æta-

ætatem auream redones, clementiâ ſerò cœlum merearis, fæcunditate regii ſangvinis æternos traduces relinquas, Religione propitia terris Numina impetres, Te omnis ætas Pacificum, Juſtum, pium, clementem, patriæ Patrem veneretur. Brevi voto:

Vivas, Vivas, Auguſtiſſime Regum!

Tibi verò, Celſiſſime & Incomparabilis Heros, quas grates, quas laudes & Patria omnis & hæc Muſarum noſtraram ſedes, quam poſt tot vetera illuſtriſſima merita novo hoc obſtrinxiſti beneficio, exſolvet? Qui famulantes jampridem gloriæ tuæ Muſas noſtras habes, quorum delubro illuſtriſſima illa præſentia Tua laureatos faſces ad Pompei illius Magni exemplum ſubmiſiſti, patere, ut meritorum tuorum magnitudinem ſacro nunc ſilentio potius, quàm prolixiori & impari elogio veneremur. Invictam illam, dexteram illos & bis mari

debellatis Danis, fugatis Belgis, & toties terra in Germania Poloniaq; reportatos triumfos, expugnatas munitisſimas arces, Brigentinam, Fridrichuddam, Coronoburgum, aliasq; innumeras, non minus, quàm ſervatam Pomeraniam, & ad optimi ſpeciem imperii compoſitam, una cum vendicata in decus Academia, hiſtoriæ omnes, omnes poſteri loqventur, omnes ingentes & præclaræ animæ, quas æternitati tuæ vectigales jampridem reddidiſti, ſi qua futura eſt ætas, ſi qui venturi ſunt anni, deprædicabunt.

Nec minus, Perilluſtris & Excellentisſime Dn. Baro, Tuas virtutes ac merita devota nobiſcum patria ſupicit. Fortitudinem & majorem quovis caſu habituq; fortunæ animū Cracavia auſpiciis Divi Caroli Guſtavi â Te defenſa, Sedinum tot hoſtibus liberatum perennaturis inſcripſit annalibus. Tot præterea ingenii judiciiq; admirandæ dotes, ut Pomeraniæ,

niæ, quæ tuis quoq; consiliis ad prioris felicitatis suæ sortem eluctari sperat, ut Academiæ, quæ ex tuo quoque illustri favore incrementa sibi promittit, Tibi obstringunt cultum, sic multis fortissimis etiam belli ducibus non æqualem modò, sed & superiorem reddunt.

Quantum quoque est, Generose Mevi, quod Pomerania Tibi omnis, quod Academia debet, qui ex hujus cathedræ umbra ad illam dignitatis lucem ingenii magnitudine Te evexisti. Ut verecundia tua prolixas publicasq; non admittit laudes, sic Te melioris in Pomerania sæculi, floridioris & ex situ vendicatæ Academiæ instrumentum omnes meritò speramus, colimus & admiramur.

Vestra quoq;, Aulæ Provinciæq; Proceres illustres, consilia, operā, labores grata deprædicabit posteritas, in se favorem agnoscit Academia. Clarissimæ illæ majorum vestrorum

virtutes, fides in Principes, amor in patriam, fortitudo inter arma, prudentia consiliorumq; gravitas in pace, affectus in studia, non cum ipsis, non cum ultimo Pomeraniæ Duce occubuerunt. Supersunt in Vobis, vivunt in Vobis, spondent Sacr. Reg. Majest. æternæ constantiam subjectionis, patriæ meliorum temporum fortunam, Huic literarum sapientiæq; delubro feliciora incrementa. Supereſt, ut post gratias illustri splendidissimoq; huic Auditorio humili, reverenti devotoq; cultu, pro præsentiæ clementia, gratia, favore, actas, publicam Panegyrin non tam disertâ precum prolixitate, quàm solis suspiriis, tacitoq; pro salute Patriæ ad Divinam Majestatem voto obsignemus.

DIXI.

3096. II

Skanowanie i opracowanie graficzne na CD-ROM :

ul. Krzemowa 1
62-002 Suchy Las
www.digital-center.pl
biuro@digital-center.pl
tel./fax (0-61) 665 82 72
tel./fax (0-61) 665 82 82

Wszelkie prawa producenta i właściciela zastrzeżone.
Kopiowanie, wypożyczenie, oraz publiczne odtwarzanie w całości lub we fragmentach zabronione.

All rights reserved. Unauthorized copying, reproduction, lending, public performance and broadcasting of the whole or fragments prohibited.